PROGRAMM

DES

KÖNIGLICHEN GYMNASIUMS

ZU

LEIPZIG

FÜR DAS SCHULJAHR OSTERN 1882 BIS OSTERN 1883

DURCH WELCHES ZUGLEICH ZU DER

ENTLASSUNG DER ABITURIENTEN AM 8. MÄRZ VORMITTAGS 10 UHR

UND ZU DEN

ÖFFENTLICHEN PRÜFUNGEN DER KLASSEN AM 12. UND 13. MÄRZ

IM NAMEN DES LEHRERKOLLEGIUMS

ERGEBENST EINLADET

PROF. RICHARD RICHTER

REKTOR.

Gehlert

HIERZU ALS BEIGABE: K. GEHLERT, DE CLEOMENE III., LACEDAEMONIORUM REGE.

LEIPZIG, 1883.
DRUCK VON ALEXANDER EDELMANN,
UNIVERSITÄTS-BUCHDRUCKER.

1883. Progr. No. 493.

De Cleomene III, Lacedaemoniorum rege.[1])

ποθέεσκε δ' ἀϋτήν τε πτόλεμόν τε.
Il. I. 492.

Interempto Agide,[2]) Eudamidae filio, cum Leonidae regis foedo scelere, tum sua ipsius nimia, ut moritura clamitabat Agesistrata mater, comitate mansuetudine humanitate[3]) omnes spes bonorum, fore ut pristinum recuperaret honorem enervata Lacedaemoniorum res publica, subito collapsae sunt. Etenim Leonidas, cum Archidamus, Agidis frater, insidias veritus, Messenen aufugisset, atque Eurydamidas, regis occisi filius, infans esset paucorum dierum, perrexit, nullo iam obtrectante Persico more uti, salutem civium nihil curare, libidini indulgere et avaritiae, superbius in dies se gerere. Itaque Agiatidem, uxorem Agidis, inter omnes quae tum in Graecia erant mulieres et formositate corporis et animi nobilitate morumque castitate facile praestantissimam, quippe quae magnas illas Gylippi patris opes hereditate omnes accepisset, neglectis eius precibus invitam Cleomeni filio vixdum adulto dedit in matrimonium. Qui cum a puero interfuisset scholis, quas Sphaerus Borysthenites,[4]) Zenonis atque Cleanthis discipulus, Lacedaemone habebat, Stoicorum institutionis ac disciplinae praeceptis imbutus egregiam indolem diligentissime excolebat, ut omnia secutus, quae ad recte vivendi viam pertinerent, mollitie neglecta vitata turpitudine atque in vitae honestate et decore veram virtutem positam esse arbitratus inter aequales ab eodem Sphaero ad optima quaeque incensos adolesceret. Nec tamen Stoicorum tantum disciplinam discipulos Sphaerus docebat, sed, cum idem rerum Laconicarum esset peritissimus, fieri non potuit, quin eorum animos ad veteres Lycurgi leges et instituta adverteret, quo factum est, ut vehementissimum excitaretur pristinae virtutis desiderium in adolescente Cleomene. Iam vero ubi Agiatidem duxit in matrimonium atque mirum in modum coniugum animi mutuo coaluerunt amore, recordatione Agidis, quem grata piaque colebat illa memoria, non minore correptus est studio eiusdem viae ingrediendae, qua patriae renovaretur gloria. Atqui vivo

1) De fontibus imprimis collati sunt: I. C. F. Manso: Sparta III, 2. p. 133 sqq. Leipzig 1805. — A. H. L. Heeren: De fontibus et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi. Goettingen 1820. — M. Haug: Die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschreibungen der Griechen. Tuebingen 1854. — G. F. Schoemann: Plutarchi Agis et Cleomenes. Greifswald 1839. — M. Klatt: Forschungen zur Geschichte des Achaeischen Bundes. Berlin 1877. — F. Blass: Agis und Kleomenes. Leipzig 1875. — C. Sintenis: Agis und Kleomenes. Berlin 1882. — J. F. Lucht: Phylarchi historiarum fragmenta. Leipzig 1836. — C. et Th. Mueller: Fragmenta historicorum Graecorum. I. p. LXXVII sqq. — Chr. Lucas: Ueber Polybius' Darstellung des Aetolischen Bundes. Königsberg 1827. — F. A. Brandstäter: Die Geschichten des Aetolischen Landes, Bundes und Volkes. Berlin 1844. — Schneidewind: De Polybio Cleomenis existimatore. Progr. Nordhausen 1868. — E. Köpke: De hypomnematis Graecis, part. II. Progr. der Ritter-Akademie. Brandenburg 1863. — I. Kracauer: De Arato Sicyonio. Diss. inaug. Breslau 1874. — C. et Th. Mueller: Frgm. hist. Graec. III. p. 21.

2) Anno a. Ch. n. 241. cfr. Schoemann: Prolegomena in Plut. Ag. et Cleom. §. VIII.

3) Plut. Agis 20. 4) Diog. Laert. VII. 177. 178.

patre Leonida cum prope nefas esset, de necato rege eiusque consiliis vel verbum facere, quaecunque agitabat animo, retinebat in pectore inclusa.

Qui postquam defunctus est,[1] puero Eurydamida et exsule Archidamo solus Cleomenes suscepit regnum, quod gravissimis tum morbis laborabat. Ac primum quidem regia potestas paene erat nulla; paucorum enim eorumque ditissimorum arbitrio gubernabantur omnia; deinde pro frugalitate, abstinentia invaserant luxuries, avaritia, ut ad sua tantum quisque commoda cuncta referret; porro dum in paucorum Spartiatarum manibus ingentes coacervantur divitiae, in latifundia contrahuntur agri, miserrima cives premebantur penuria. Nec minus iuventus severae Lycurgi disciplinae diu oblita iam non in armis ponebat gloriam, sed omni mollitiei dedita vitae commodis, quae effeminarent robur virile, plus nimio indulgebat. Cum vero ipsa res publica funditus esset eversa atque dissoluta omnesque, quibus valuerant maiores, virtutes sensim evanuissent, quid erat mirum quod non principem tantum locum inter civitates Graeciae iam pridem Lacedaemon amiserat, verum etiam ne in Peloponneso quidem quidquam valebat eius auctoritas? Quid quod Cleomenis aetate Aetoli Illyriique expeditione in Peloponnesum suscepta ingentem captivorum multitudinem impune ex Laconia abduxerant.[2] Egregium igitur profecto officium et rege cum natura tum disciplina ad optima quaeque incenso dignum redintegrata auctoritate regia renovatisque Lycurgi legibus et institutis recuperare patriae principem locum, quem maiores eam obtinere voluerant. Verum enim vero quae novissime acciderant luculenter demonstrabant longe alia ratione utendum esse Cleomeni atque Agidi, siquidem conata vellet perficere. Qui cum secum reputasset, quos habiturus esset ministros ad exsequenda consilia, primum Xenarem, Agidi aequalem, quocum a puero intima coniunctus erat familiaritate, percontatus est, qualis ille fuisset quidve spectasset. Is vero, quamquam initio non dubitavit cum rege communicare, quaecunque de conatibus Agidis comperta haberet, tamen ubi intellexit, quanto ardore audientis animus adolescentis corriperetur eademque illum et fortasse maiora etiam moliri, dementem increpans ita discessit iratus, ut neque adiret eum iterum neque cum eo colloqueretur.[3])

Ea igitur spe destitutus cum ceteros quoque de reformanda republica eadem sentire atque Xenarem suspicaretur, secum ipse consilia agitare constituit Cleomenes ac primum satis habuit, animos sibi civium conciliare et singulari quodam edito frugalitatis et abstinentiae specimine ad pristinam revocare eos morum sinceritatem. Ergo omisso omni apparatu fastuque regio remotisque nuntiis et ianitoribus unicuique facilem ad se praebuit aditum hilarique vultu exceptos hilares dimisit, ut eum solum Herculis esse progeniem praedicarent. Cotidiano autem victu instituto ex maiorum more cibi potusque maximae studuit simplicitati, a qua vivendi consuetudine nunquam discessit, nisi cum forte hospites vel legati excipiendi essent hospitio. Sed ne tum quidem nec splendidiore utebatur supellectile nec conditis cibis placentisve, sed largiores tantum apponebantur lances mitiusque praebebatur vinum, et ne quis bibendi excederet modum cavebat mos, ex quo poculum puer non porrigebat nisi qui poposcisset. Aberant ab regis epulis vocum nervorumque cantus, aberant saltatrices et oblectamenta, sed ipsius sermo iucundissimus sive quaerentis sive narrantis sive severe sive iocose colloquentis convivarum animos satis delectabat. Quo factum est, ut mercennarios pecunia sibi parare supersedere posset, cum moribus et oratione amicos sibi devinciret.[4])

1) A. 235. cfr. Schoemann: Proleg. §. XIV. 2) Cleom. 18. Polyb., IV. 34. cfr. E. Reuss: Agis und Aratos. N. Jahrbb. für Philol. 1876. Bd. 113. p. 615. 3) Cleom. 1—3.
4) Phylarchus apud. Athenaeum IV. 21. Cleom. 13. cf. Niebuhr, Vorträge über alte Geschichte. III. p. 390 sq.

Attamen hoc modo mala, quibus respublica vexaretur, tolli non posse erat manifestum, cuius saluti succurrere non potuit Cleomenes, nisi prius cives docuisset, quid ipse armis valeret quidve de se sperari liceret; etenim tum demum, ubi belli polleret gloria victorique praeesset exercitui sibi dedito, ad infringendam ephororum potestatem renovandamque rempublicam ei erat aggrediendum. Bellum autem flagitare videbantur non domesticae tantum res, sed universa Lacedaemonis condicio. Nam ex quo tempore Aratus Sicyonius Achaeorum foederi praeesse coeperat, mirum in modum eius opes auctae sunt, ut si Lacedaemonem, Elida, Arcadas exceperis, reliqua fere Peloponnesus Achaeorum partes sequeretur, nec abfuit periculum, qua insignis erat Aratus astutia, ne serius ocius subacta Lacedaemone universae Peloponneso Achaei imperarent. Quid? Arcadiae regiones Achaeis confines nonne paulo post mortem Leonidae irruptionibus lacessivit Aratus quasi experiens, qualis esset Cleomenes, quem velut adolescentem imperitum despiciebat?[1]) non Lydiades Megalopolita, cum Achaeorum esset praetor, excitare studuit Aratum, quamvis frustra, ut bellum inferret Lacedaemoniis?[2]) Neque vero solus Cleomenes crescentibus Achaeorum opibus invidebat, verum etiam Aetoli, illorum adversarii, quibuscum Arcadum civitates Orchomenus, Tegea, Mantinea ita erant societate coniunctae, ut isdem fere legibus et institutis uterentur, quibus ipsi.[3]) Cum Aetolis igitur de foedere et amicitia agere conatus est Cleomenes. Quod ubi perpetrare non potuit, illa Arcadum oppida subito adortus occupavit non modo non resistentibus Aetolis, sed etiam concedentibus; nempe ex suo fore commodo sunt arbitrati, si Cleomenis opes adversus Achaeos augerentur. Aratus autem facinore illo audacissimo edoctus est adversarium haudquaquam esse contemnendum regem adolescentem,[4]) iamque ipse ceterique foederis principes quamvis nondum bellum gerendum, tamen omnia paranda esse censuere, quibus Lacedaemoniorum resisterent conatibus. Quae cum ita essent, ephori quoque ex torpore excitati mandarunt Cleomeni, ut fanum communiret Minervae in agro situm Belbinate, de quo, cum iam diu inter Megalopolitas et Lacedaemonios esset certatum,[5]) etiam tunc inter utramque controversia erat civitatem, quoniam immineret viae quae Megalopoli in terram ducebat Laconicam. Quod quidem rex confecit non lacessitus ab Arato, qui alio quodam modo inferre detrimentum Lacedaemoniis constituit. Fuerunt enim inter Tegeatas et Orchomenios nonnulli, qui, cum Achaeorum partibus studerent, illa se oppida Arato, si appropinquasset cum exercitu, esse tradituros erant polliciti. Quibus confisus more suo noctis silentio ille clandestino impetu, quo pugnandi genere valebat, oppida intercipere est conatus — sed de conatu excidit. Etenim postquam clausas repperit portas — proditores prae timore non steterant promissis — exercitum reduxit, sperans, cum nondum vellet pro aperto hoste Lacedaemoniorum se haberi, expeditionem susceptam latuisse Cleomenem, cuius mox erroris e litteris regis iocosis est convictus.[6]) Nihilo minus haud ita multo post regem, qui in Arcadia versatus trecentis praeerat peditibus et non multo equiti, vel belli instantis discrimina vel incrementa adolescentis veriti relicta Arcadia domum iusserunt ephori redire. Ipso autem fano Minervae communito cum apertum et acrem hostem illum exstitisse arbitraretur Aratus, Achaeorum praetor, nec abesset suspicio, ne cum Aetolis et rege Macedonum iniret societatem, convocato Aegium consilio, ut bellum contra Lacedaemonios gereretur decre-

Arato Achaeorum praetore ab in. m. Maio 229 ad in. m. Maium 228.

1) Cleom. 3. 2) Arat. 30. 3) Polyb., II, 46.

4) Admonuisse Aratum dicitur Demochares Lacedaemonius, ut, si quid adversus Lacedaemonios esset suscepturus, maturaret, priusquam illi pullo crevissent calcaria. Cleom. 4.

5) Liv. XXXVIII, 4. Paus. VIII, 35. 6) Cleom. 4.

verunt Achaei.[1]) Ita exortum est bellum illud perniciosissimum, quod Cleomenicum[2]) vocabatur, quo finito in perpetuum Graecorum exstincta est libertas.

Initium armorum fecit Aratus interceptis Caphyis, Arcadum oppido in lacu sito Orchomenio; quo facto Cleomenes, iterum missus cum exercitu ab ephoris, ubi Methydrium mediae fere Arcadiae oppidum occupavit, converso itinere in Argivorum fines irrupit.

Aristomacho praetore 228—227.

Exacto enim Arati praeturae tempore Aristomachus, Argivorum quondam tyrannus, praetor ab Achaeis est electus. Is vero cupiditate cum Cleomene debellandi flagrans parato exercitu, quocum in Laconicam terram invaderet, Aratum, qui Athenis tum forte versabatur, ut interesset expeditioni, invitavit. Qui quamquam initio praetorem, ne cum rege audacissimo confligeret, est dehortatus, precibus tandem eius obsecutus ad exercitum se contulit. Prope Pallantium, quod oppidum haud procul aberat a Tegea, occidentem versus Aristomachus et Cleomenes inter se obvii facti sunt. Exitus pugnae, si quae committeretur, vix videbatur dubius. Etenim erant Achaeorum viginti milia peditum, mille equites; Cleomenes contra quinque tantum militum milibus ac ne eis quidem imperabat integris. Sed cum iam uterque ad pugnandum esset paratus, Arati vel timore, quo Cleomenis verebatur audaciam, vel invidia, quam adversus Aristomachum conceperat, factum est, ut omisso proelio se reciperet praetor. Quid mirum, quod Achaei ipsi calumniis in Aratum sunt invecti, Lacedaemonii eum derisere, Cleomenes autem suos commonefecit illud, quod Agis, Archidami filius, aliquando effatus esse dicitur: non frustra quaerere Lacedaemonios non quot, sed ubi essent hostes.[3])

Quo quidem incredibilis proposito ignaviae documento et amissa, quam quasi manibus tenuerant Achaei, victoria, fieri non potuit, quin finito Aristomachi praeturae anno summa niterentur ope adversarii, ne praetor Aratus crearetur. Sed quamquam in primis Lydiades Megalopolita, qui tyrannide deposita, ut civitas iniret cum Achaeis amicitiam, effecerat, vehementissime eum accusavit apud illorum consilium, tamen superavit suffragiis Aratus et praetor electus est. Iniit autem ille praeturam expeditione in Eleos suscepta, quibus bello vexatis opem ferre conatus est rex Lacedaemoniorum. Circa Lycaeum montem ex Eleis iam reducem praetorem adortus fuso fugatoque eius exercitu cum multos ense interemit, tum magnum hostium numerum abduxit in captivitatem; quid quod rumor per Graeciam divulgatus est, Aratum ipsum cecidisse. Eripuerat autem suo more ille se proelio eamque ipsam famam in suum convertens commodum repentino impetu Mantineam intercepit. Singulari igitur usus humanitate erga cives antea amicos tunc adversarios fidos eos reddere foederis socios

Arato praetore 227—226.

1) Polyb., II. 45. 46. Cleom. 4. Arat. 35 ubi secundum Aratum, cuius hypomnemata in hoc capite secutus est Plutarchus, Aristomachus auctor belli videtur fuisse.

2) De chronologia rerum Cleomenicarum dissentiunt inter se viri docti, praeter alios: Manso: Sparta III. 2. — E. Helwing: Geschichte der achaeischen Bundes. Lemgo 1829. — W. Schorn: Geschichte Griechenlands von der Entstehung des aetolischen und achaeischen Bundes bis auf die Zerstörung Corinths. Bonn 1833. — G. F. Schoemann: Prolegomena q. sq. — Brandstäter: Die Geschichten q. sq. p. 334 sqq. — G. Droysen: Geschichte der Epigonen II. Zweite Auflage. Gotha 1878. — H. G. Plass: Die Tyrannis in ihren beiden Perioden bei den alten Griechen. II. p. 157 sqq. Bremen 1852. — E. A. Freeman: History of Federal Government I. London 1863. — C. Peter: Zeittafeln der Griechischen Geschichte. Halle 1873. — E. Reuss: Chronologie der Regierung Cleomenes III. von Sparta. N. Jahrbb. f. Philol. 1873. Bd. 107. p. 569 sqq. — R. Palmarin: Die Beziehungen Spartas q. sq. Progr. Oberhollabrunn 1876. — Denique M. Klatt: Forschungen q. sq., qui eas quae ad bellum Cleomenicum spectant quaestiones egregie videtur absolvisse.

3) Cleom. 4. cfr. Moral. 190 C. 215 D. Arat. 35.

cepit consilium. Severa enim disciplina coercendo a vastando praedandoque milite cum sibi conciliasset Mantineensium animos, mutandam reipublicae curavit formam, ut multis ex inquilinis permitteret civitatem. Ad obtinendum autem oppidum trecentorum militum reliquit praesidium, cui postea petentibus novis civibus mercennariorum sunt additi ducenti; quo facto clades modo accepta plus nimio est compensata.[1]) Contra ephori de incrementis regis solliciti atque amissam Mantineam iustam esse causam arbitrati, cur revocarent Cleomenem, precibus eius nihil moti non in bello perseverandum esse decreverunt. Itaque rex bellandi cupidissimus victoriisque reportatis elatus, sed ephororum vel ignavia vel invidia impeditus intolerabilem in modum, quacunque posset ratione eorum potentiam infringere constituit. Quod fore ratus, si regnum in antiquam redegisset conditionem, ut duo rursus reges reipublicae praeessent, Eurydamida illo ipso tempore mortuo,[2]) Archidamum ex altera gente regia heredem legitimum, per Nicagoram Messenium, qui illum exsulem exceperat hospitio, hortatus est, ut Lacedaemonem rediret atque destitutam occuparet sedem Proclidarum. Adnuebant ephori, sed vel in reditu vel confestim post reditum occisus est Archidamus, optimatium ut videtur potissimum insidiis, quibus erat metuendum, ne occisi Agidis poenas a se repeteret Proclida. Certe quod facinus illud detestabile non ultus est Cleomenes, confirmabatur suspicio, conscium eum sceleris fuisse.[3]) Id consilium cum ad irritum cecidisset, rex intellexit, nullo se alio modo nisi vel fraude vel armis conata posse perficere. Itaque primum Megistonum et divitiis et auctoritate inter Spartiatas praevalentem sibi studuit adsciscere. Quam ob rem Cratesicleae matri, qui non solum filii caritate sed eodem quo ille patriae amore flagrabat, ut ei nuberet, persuasit. Porro pecunia, cuius largam suppeditabat mater copiam, cum aliis tum ephoris corruptis, factum est, ut belli redintegrandi ei fieret potestas. Profectus igitur rursus cum exercitu occupavit Leuctra, vicum in Megalopolitarum ditione situm. Qua de re certior factus accurrit Aratus cum auxiliis, dum ad ipsam urbem Megalopolin aciem instruit Cleomenes. Sed ne tunc quidem proelium committere ausus est Achaeorum praetor, nec tamen potuit prohibere, quin levis armaturae milites excursione in Lacedaemonios facta partem aliquam exercitus hostium fugarent et usque ad castra progressi paene in tentoria penetrarent. Quodsi Aratus eduxisset exercitum, dubitari nequit, quin magna hostium edita

---

1) Cleom. 5. Arat. 36. Polyb., II, 57. 58.

2) Inepte Pausaniam referre (II. 9.) Cleomenem per ephoros Eurydamidam adhuc impuberem veneno de medio tollendum curasse iam monuit Manso III. 2. p. 136. cfr. Schorn p. 109.

3) Caedem Archidami perpetratam esse invito Cleomene affirmat Phylarchus (Cleom. 5.); arbitrio eum amicorum patris Leonidae permisisse, certe caedem non ultum esse regem concedit Plutarchus (Cleom. 5. Compar. 5.). Contra Polybius diserte dicit, obviam progressum esse Cleomenem Archidamo redeunti eumque obtruncasse (V, 37.). Idem Archidamum quasi vituperat, quod cum Cleomenis dominandi libidinem effugisset, tamen haud multo post eius se fidei permiserit eoque et regno et vita privatus sit (VIII, 1.). Quamquam odio regis et studio Achaeorum occaecatum res Cleomenis scripsisse Polybium inter plerosque constat, tamen illam rem ementitum eum esse minime est verisimile Eam autem difficultatem quod Plutarchus Archidamum Leonidae insidias (Cleom. 1.), Polybius Cleomenis facit fugientem (VIII, 1.) coniectura admodum probabili ita sanare studet Klatt (p. 49), ut bis exsulem factum esse Archidamum suspicetur; ac primum quidem post Agidis mortem; redisse eum post Leonidae mortem, iterum eiectum esse regnante Cleomene per amicos eius; de altero exsilio cogitare Polybium. Adde quod causa cur Nicagoras odium adversus Cleomenem susceperit implacabile, quam tradit Plutarchus (Cleom. 35.) scilicet: pretium praedii, quod aliquando regi vendidisset, poposcisse Messenium neque vero accepisse, levior videtur atque imbecillior quam cui fidem tribuamus. Quae cum ita sint, quamquam Cleomenem Archidamum dolo capere voluisse credi vix potest, tamen illam tamquam maculam quod, mutato postea consilio, conscius fuerit nefasti illius flagitii, frustra de imagine regis delere conabimur.

esset strages. Atqui praetor occupatis faucibus quibusdam altis substitit, quas vetuit transgredi gravis armaturae milites. Sed Lydiadae, viro fortissimo, turpior ea visa est ignavia quam quae posset tolerari. Suo igitur Marte belli fortunam periclitaturus convocatos monuit equites, ut opem ferrent commilitonibus neve prodita victoria semet ipsum destituerent pro patria pugnantem. Quibus dictis cum permulti sequerentur ducem strenuum, vehementissimo impetu in dextrum cornu suscepto hostes fugavit fugatosque usque ad Laodicium persecutus est. Sed nimia audacia nimioque animi fervore longius proreptus incidit in locum vineis, fossis, maceriis repletum, ut equitatus eius in summas redigeretur angustias. Ea vero Lydiadae calamitas saluti erat Cleomeni. Igitur equites levis armaturae sagittariosque in perturbatos hostium ordines iussit procedere, qui sublato clamore Lydiadae occurrunt eumque fortiter pugnantem sub ipsis patriae urbis moenibus concidunt. Occiso vero duce Achaeorum equites in fugam conversi ita in peditatum praecipitati sunt, ut omnis Arati exercitus disiiceretur. Confecto autem proelio Lydiaden mortuum afferebant ad Cleomenem, qui purpurea eum veste indutum sertoque caput redimitum utpote victorem ad portas Megalopolis curavit comitandum. Reliquorum corpora ex composito tradita sunt Achaeis.[1]) Qua Lydiadae morte, quam haud iniuria crimini dabant praetori, adeo animi militum adversus Aratum sunt exacerbati, ut cum coactus Aegium se contulisset, convocato consilio decernerent, ne amplius ei subsidia praestarentur eiusque permitteretur arbitrio, siquidem bellum vellet gerere, unde sustineret impendia. Tanta affectus ignominia quamquam paullulum dubitavit Aratus, depositane illico praetura sigillum traderet publicum an imperium obtineret, tamen adversariis obstare constituit et acceptae cladis labem victoria abolere. Profecto igitur in Arcadiam cum exercitu evenit, ut ad Orchomenum cum Megistono, Cleomenis vitrico, confligeret; qua re bene gesta et caesis hostium trecentis ipso vivo potitus est Megistono.[2])

Rex autem Cleomenes post splendidissimam illam ad Megalopolin victoriam redux factus Lacedaemonem multa et magna animo volvebat. Etenim cognoverat neque Aratum neque Achaeorum copias sibi suisve esse pares; quodsi licuisset sibi, omnibus expeditis Lacedaemoniorum viribus suo arbitrio instare bello, tum fieri debebat, ut fusis Achaeis eorumque sociis Peloponnesi civitates vel foedere coniunctae vel vi subactae Lacedaemoniorum partes sequerentur atque pristinus honor recuperaretur patriae. Verum tamen adeo non hanc tanquam metam iam contigerat, ut nisi de medio sublatis ephoris, qui quin regi, cum bellandi eum cupidissimum moleste ferrent, insidias paraturi essent vix erat dubium, nunquam conata perfici posse viderentur. Periculosa autem erat res tollere illum magistratum et consuetudine sancitum et religione custodiaque ditissimorum civium munitum, ut singulari quadam opus esset cum audacia tum astutia Cleomeni. Itaque in primis cum Megistono, postquam liberatus is rediit Lacedaemonem, quae ipse de ephororum nece atque de mutanda republica sentiret communicavit. Cui cum regis probata esset sententia paucique ex familiaribus consensissent, unus ex ephoris adisse dicitur Cleomenem, qui mirum quoddam ei relaturus esset somnium. Dormienti enim sibi in delubro Pasiphaae visam esse in eo loco, quo officii munera obire consuessent ephori, unam tantum modo relictam sellam, quattuor reliquas remotas. Obstupefactum visu se percepisse vocem ex interiore fano emissam: id optimum esse Lacedaemoni. Perturbavit narratio mentem Cleomenis patere quae agitaret suspicati; verum ubi cognovit nihil rettulisse ephorum nisi somnium, confirmata sunt ea re regis proposita. Iterum igitur Lacedaemone profectus, omnes cives quos sibi

1) Cleom. 6. Arat. 36. 37. Polyb., II., 51. 2) Arat. 37. 38.

suisque consiliis maxime obtrectaturos esse persuasum habebat, secum eduxit in Arcadiam, atque interceptis Heraea et Alsaea, Achaeorum oppidis, ubi Orchomeno ab hostibus obsessae providit commeatum, in Mantineensium decurrens agrum Achaeorum praesidio iniecit terrorem. Itaque castris cotidie motis modo huc modo illuc profectus effecit id quo intenderat; confecti enim laboribus itineribusque Spartiatae flagitarunt, ut requiescendi causa sibi liceret aliquamdiu in Arcadia remanere. Quorum precibus obsecutus cum familiaribus et militibus mercede conductis rex Lacedaemonem contendit, iterque faciens eis, quos maxime fidos sibi esse perspexerat, res novas patefecit, quas moliretur, eamque ob causam iam ante vesperum ephoros esse necandos; tum lentius progressus est, ut cenantes illos deprehenderet. Postquam ad urbem appropinquavit, Euryclidam in aedes, ubi communes solebant celebrare epulas ephori, iubet se conferre, quasi eis relaturus esset, quomodo se haberet exercitus; subsequuntur Therycion et Phoebis, praeter quos duo ex sodalibus Cleomenis comitante parvo militum numero, qui, dum audiunt ephori Euryclidam verba fingentem, subito in cubiculum irrumpunt strictisque gladiis paventes aggrediuntur. Quattuor sunt caesi ephororum aliorumque, qui exorto tumultu illis opitulaturi advolabant, non plures quam decem. Agylaeus autem ephorus, qui statim initio caedis prostratus et pro mortuo est habitus, ubi ad se rediit, noctis silentio in aedes Timori sacras, quae alias plerumque clausae tunc casu quodam patebant, prorepsit. Ostio post se occluso noctem ibi degit; postridie vita ei concessa est. — Ubi dies illuxit, proscriptis octoginta civibus, ea lege ut intacti integrique eiicerentur in exsilium, sublatisque sellis ephororum praeter unam, qua ipse uteretur in iudicio, in publicum processit Cleomenes atque cur caede sustulisset ephoros rationem reddere in contione coepit, in hanc fere sententiam locutus: Non a Lycurgo institutos esse ephoros, qui solum senatum adiunxisset regibus. Ea demum aetate, qua conflictum esset cum Messeniis reges bello occupatos elegisse ex amicis, quibus dum abessent ipsi committerent domi iudicia. Illos vero regum ministros potestate arrogata paullatim proprium constituisse magistratum, sed inferiorem dignitate regia. Id vel inde apparere, quod reges non adirent ephoros nisi tertium arcessiti. Qua si moderate usi essent potestate, tolerabiles fuisse: cum vero assumpto imperio avitam regum dignitatem magis magisque infregissent, eosque, qui malis, quibus laboraret res publica, mederi conarentur, odio implacabili persequendos esse censuissent, non iam eos fuisse tolerandos. Quodsi fieri potuisset, ut sine caede rem publicam sanaret, beatissimum se omnium regum esse iudicaturum. Iam vero ipsius Lycurgi confirmari exemplo, cum patriae salus ageretur, vim esse interdum adhibendam. Haec fere locutus ita se instituturum rem publicam profitetur, ut omnes agri denuo dividerentur, debitores aere alieno levarentur, Lacedaemoniorum et peregrinorum qui virtute praestarent inter Spartiatas reciperentur atque ita patria ab Aetolorum et Illyriorum infestis defenderetur incursionibus. Quae cum dixisset ipse primus suos agros in commune dividendos tradidit, tum Megistonus et familiares et reliqui cives secuti sunt. Ita perfecta est agrorum divisio, res haud ita difficilis factu, cum ex centum illis Spartiatis, qui tum omnes possidebant agros, octoginta versarentur in exsilio, reliquorum optimatium haud pauci in Arcadia. Ceterum vel exsulibus illis, quos animis sedatis revocaturum se esse pollicebatur Cleomenes, agrorum aequales sunt partes attributae. Novi autem cives ita videntur recepti esse inter Spartiatas, ut veteres illae tres Hyllensium, Dymanum, Pamphylorum tribus abolerentur et quinque novae tribus instituerentur, quae regionatim descriptae et a regionibus appellatae [1]) omnes cives,

---

1) *Μεσόα, Πιτάνα, Κυνόσουρα, Λίμνα, Δύμα* (?). cfr. Schoemann, Proleg. §. XIII.

novos pariter atque veteres, complecterentur. Unde factum est, ut pro septingentis qui omnino tum erant Spartiatis[1]) quattuor jam milia adessent Cleomeni, quos quidem edocuit pro hasta uti sarissa, quae utraque tenebatur manu, et scutum ferre habilius.[2]) Qua re perpetrata ad instaurandam veterem Lycurgi accessit disciplinam, quam adiuvante Sphaero ita instituit, ut ex adulescentium iuvenumque exercitationibus, ex syssitiorum quae vocantur frugalitate, e totius cultus victusque simplicitate facile intellegeres, universam rei publicae rationem plane esse commutatam. Denique, semoto etiam senatu, cuius munere fungi volebat patronomos,[3]) quo tyrannidis nomen tolleretur et invidia, Euclidam fratrem, quem nulla virtute singulari claruisse suspicari licet, alterum fecit regem.[4]) Restituta igitur videbatur aliqua ex parte Lycurgi res publica, sed re vera sublatis ephoris unius erat imperium. Ac profecto nemo unquam Heraclidarum potestate vere regia dignior fuit Cleomene; qui cum regem mallet se esse quam videri, rei militaris peritissimus, idemque dux fortissimus, prudentia, doctrina, facundia, comitate, constantia, abstinentia, humanitate, patriae caritate omnes aetatis illius Graecos longe superabat, ut omnia comprehendens dixeris, quibuscunque virtutibus singuli unquam Graeci floruerint, eas in rege illo natura ad regnandum facto tanquam in ultimo Heraclida coniunctas fuisse.[5])

Fama earum rerum, quae acciderant Lacedaemone, pervagata est Graeciam et diverso modo animos affecit: laudibus efferebant alii Cleomenem et admirabantur, irridebant alii tanquam Lycurgi imitatorem et Solonis.[6]) Nec tamen potuit fugere Aratum, eo ipso quod suo iam arbitrio bellum posset persequi, opes magnopere regis crevisse; idque eo minus cum certior esset factus, Cleomenem, quo res novae domi confirmarentur impetu repentino in fines Megalopolitarum suscepto maguaque

1) Agis 5. 2) Cleom. 11: *τὴν ἀσπίδα φορεῖν δι' ὀχάνης, μὴ διὰ πόρπακος.*

3) Paus., II. 9. *τὸ κράτος τῆς γερουσίας καταλύσας Πατρονόμους τῷ λόγῳ κατέστησεν ἀντ' αὐτῶν.* cfr. Droysen: Epigonen II. p. 90. 91. Schorn. p. 113.

4) Cleom. 7. 8. 10. 11.

5) Mirum in modum inter se repugnant, quae Polybius variis locis iudicet de Cleomene; *πικρότατον* eum *τύραννον* appellat IX, 23; abolevisse eum ait avitam rei publicae formam regnumque legitimum mutasse in tyrannidem II, 47; funditus eversam ab eo esse antiquam rempublicam IV, 81; Antigoni demum beneficio nactos esse libertatem Lacedaemonios IV, 16; 22. Ex eodem fonte manasse Livii iudicium: ‚post mortem Cleomenis, qui primus tyrannus Lacedaemone fuit' (XXXIV, 26) vix est quod moneam. Tyranni autem intellegere Polybium principem perditum ac nefarium, qui turpissima quaeque flagitia consuerit committere apparet ex II, 59 et aliis locis. Quodsi facinora a Cleomene perpetrata recognoveris, tria potissimum inveneris, quae tyranni esse videantur: quod Archidamum interfecisse dicatur, ephoros de medio sustulerit, Megalopolin everterit (II, 61). Ac primum quidem conscius sane fuit Archidami necis, auctorem eum fuisse non liquet; deinde: ephoros obtruncavit, quoniam cum rei publicae salus agebatur, tum de suo capite ei erat dimicandum, quod periculum etiam tum non effugisset, si, ut vult Plutarchus, (Compar. 5) exsilio eos multasset; Megalopolin denique evertit, postquam frustra cum civibus amicitiam inire conatus est, cum cavendum ei esset, qua tum utebatur condicione, ne hostes tam aperti detrimentum sibi inferrent. — Contra item affirmat Polybius: virum fuisse Cleomenem cum in vitae consuetudine et colloquiis familiaribus singularis cuiusdam comitatis, tum promptissimi ingenii ad subeunda seria negotia, ut omnino eum et ducem et regem a natura dixeris creatum: V, 39. cfr. orat. Aetolorum IX, 29. Regem porro eum appellat optimum, et cum privatus esset iucundissimum et humanissimum IX, 23. Adde XVIII, 36: [*Κλεομένης γὰρ) προκαταληφθεὶς εἰς αὐτὰς συνεκλείσθη τὰς ἐν τοῖς ἰδίοις οἰκέταις καὶ φίλοις ἐλπίδας· ἀλλ' ὅμως οὐδὲ ταύτας ἐγκατέλιπεν, ἀλλ' ἐφ' ὅσον ἦν δυνατὸς, ἐξήλεγξε τὸ καλῶς ἀποθανεῖν τοῦ ζῆν αἰσχρῶς περὶ πλείονος ποιησάμενος.* Idem diserte describit Lacedaemoniorum absentis regis desiderium IV, 35, quod certe nullum fuisset, si tyrannum illi existimassent Cleomenem. Quae cum ita sint, statuendum est, Polybium, quamvis regem Lacedaemoniorum ut virum egregium magni aestimaverit, tamen cum studio Achaeorum partium abreptus Arato auctori iusta maiorem fidem tribuerit (II, 40), ubi singulas res ab Cleomene gestas commemoraverit, falsum de eo protulisse iudicium. cfr. Manso III. 2. p. 140. Schoemann: Proleg. §. III. 6) Cleom. 18.

inde exacta praeda, longe lateque agros vastasse atque singularis cuiusdam audaciae singulare specimen praebuisse. Namque per Messenen iter faciens in histriones vagantes cum incidisset, quasi hostes irridens, per totum diem fabulas eos iussit docere. Ipse enim eiusmodi oblectamenta aspernatus aspernari ea suos quoque docebat, ut Lacedaemoniorum castra omnino vacarent scurrilitate, luxuria, mollitie, denique turba artificum cuiusvis generis, quae non modo a Macedonis aliorumque regum, sed etiam a reliquarum Graeciae civitatum castris separari non posse videbatur.[1])

Hyperbata praetore 226–225.

Crescente igitur in dies Cleomenis auctoritate primum ex Mantineensibus ei, qui iam pridem studebant Lacedaemoniis, cum moleste ferrent praesidium ab Arato civitati impositum et mutatam rem publicam, seditione inter cives novos et veteres exorta, de liberanda patria cum eo agunt eiusque in potestatem, postquam noctu intercepit oppidum, obtruncato Achaeorum praesidio se suaque omnia tradunt; qui quidem restitutis civitati legibus formaque rei publicae, qua ante Arati adventum usi erant Mantineenses, eodem die profectus est Tegeam.[2])

Quae cum ita essent, magis magisque cruciabat Arati animum metus, ne quaecunque inde a liberata Sicyone perfecisset, ad irritum iam caderent. Frustra igitur sublatum erat tyrannorum imperium, frustra oppidis eiecta Macedonum praesidia, frustra a Thermopylis usque ad Taenarum promontorium in libertatem vindicata Graecia; quid quod in eo erat, ut ipse, qui per tot annos principem inter Achaeos locum obtinuerat, cuius nutu, etiamsi praetura non fungeretur, cuncta essent gubernata,[3]) et gloriam et auctoritatem per regem iuvenem, quem tyrannum existimabat, amitteret. Cogitanti vero quomodo angustiis se expediret, quamquam initio et honestissimum et utilissimum visum est, propriis fretos copiis Achaeos bellum adversus Cleomenem sustinere, tamen erat manifestum, eos illi iam non esse pares. Quos vero socios sibi adscisceret? An Aetolos? Atqui eos conspirare cum Cleomene suspicatus est nec eum latuit, malle eos Lacedaemoniorum auctoritatem augeri quam Achaeorum. An regem Macedonum? At profecto turpe facinus et Graeco homine indignum cum externo rege facere societatem eiusque auxilio debellare Graecos, idemque praeterea plenum periculi. Nonne erat timendum Arato, ne gratiam amitteret popularium prodita peregrino patria? ne magnum societatis pretium posceret Antigonus?[4]) ne ipsum propter ereptam Acrocorinthum implacabili persequeretur odio? ne privaretur regis Aegyptiorum, Ptolemaei Euergetae,[5]) benevolentia, qui, adversarius Macedonis, stipendiis eum sublevaverat? Tot tantisque circumventus difficultatibus nihilo minus agere coepit cum Macedone, ac primum quidem temptabat, num forte, si opus esset auxilio, illi posset confidere. Quod ut impetraret, singulari usus est astutia. Megalopolitas enim, quos inter omnes foederis Achaeorum socios incursionibus Lacedaemoniorum maxime vexari constabat, cum cognovisset ex aetate Philippi, Alexandri Magni patris, Macedonum regibus favere, duobus eius urbis civibus, qui ei paterni erant hospites, Nicophani et Cercidae, persuasit, nisi Macedonis ope liberari non posse Peloponnesum a Cleomenis audacia. Qui quidem effecerunt, postquam ea de causa Aegium profecti sunt, ut consentiente Achaeorum consilio mitterentur ad Antigonum, secretis ab Arato instructi mandatis. Calidissima ubi oratione certiorem fecere Antigonum de Peloponnesi condicione et quantum periculi ipsi ex Aetolis et Cleomene, principatum totius Graeciae appetente, immineret, affirmarunt, si rex suas res curare in animum induxisset, et pignora certa fidei Aratum esse inven-

1) Cleom. 12. 2) Cleom. 14. Polyb., II, 58.
3) Cleom. 14. *τοῦ δὲ Ἀράτου τὸ πᾶν ἦν κράτος ἐν τοῖς Ἀχαιοῖς.*
4) Antigonus II. Doson 229—220. 5) Ptolemaeus III. Euergetes 246—221.

turum et indicaturum, quando tempus regis adventum flagitaret. Collaudata Arati voluntate rex legatis tradidit litteras, quibus se saluti Megalopolitarum esse consulturum est pollicitus, siquidem volentibus id fieret Achaeis. Redeunt legati Megalopolin et recitatis Antigoni litteris iterum mittuntur Aegium ad exhortandos Achaeos, ut quam celerrime regem arcesserent. Privatim cum legatis collocutus, ubi, quid de Achaeis et de semet ipso rex sentiret, audivit Aratus, laetitiae vix temperavit. Etenim Antigoni confisus auxilio tranquilliore iam animo bellum potuit parare, quod si minus prospere processisset, a contione regem, non a se vocatum advenire visurum esse. Qui si forte neglecto foedere in servitutem redegisset Peloponnesum, nemini dubium fore, quin Megalopolitae et universum Achaeorum consilium essent calamitatis auctores, neque sibi a quoquam regis adventum opprobrio verti posse. Repudiatis igitur in contione Megalopolitarum postulatis monuit Achaeos, ut omnibus, quae in ipsis essent, viribus intentis se suaque defenderent ac tuerentur, cum tunc demum ad amicorum subsidia liceret confugere, ubi nulla alia ratio evitandi interitus esset relicta. Placuit Achaeis Arati sententia atque decretum est, ut ipsi per se quod instaret bellum gererent.[1])

Haud ita multo post occasio cum Cleomene confligendi eis data est. Qui quidem peragrata Arcadia repentino impetu in ipsos Achaeorum fines incurrens ad Pheras accessit, ut vel proelium cum Arato committeret, vel certe odium in eum excitaret popularium, si prodita hostibus patria pugnam detrectaret. Sed nulla mora cum omnibus copiis profecti sunt Achaei atque prope Dymas, oppidum in extrema Achaiae occidentalis parte situm, ad fanum, quod Hecatombaeum vocabatur, castra metati sunt. Quod ubi comperit, accurrit Cleomenes et singulari audacia hostiumque contemptione inter Dymas et Hecatombaeum castra fecit. Provocati igitur committunt proelium Achaei. Diu et acriter pugnatum; denique conversa in fugam phalange ingentem edidit hostium stragem et permultis etiam captis superior rex discessit. Qua reportata victoria Lasionem, Eleorum quondam oppidum, eiecto Achaeorum praesidio, expugnavit expugnatumque reddidit Eleis, Aetolorum sociis.[2])

Hoc gravissimo accepto detrimento mirum in modum commoti sunt Achaeorum animi. Praevalere enim coepit opinio et salutarius fore et laudabilius, si pax componeretur cum Cleomene. Nempe reperiebantur inter Achaeos, qui moleste ferrent pro patriae amore, quod Aratus foedere icto cum Antigono externi regis ope superare Graecos eiusque arbitrio permittere conaretur Peloponnesum. Nec defuerunt inter socios, qui res Laconicas respicientes valde faverent Cleomeni, spe adducti, fore, ut cum ille principatum teneret, tabulis novis propositis ac sublata inopia ipsi miseriis exempti meliore uterentur condicione. Dum in hanc sententiam plerique Achaei inclinant, exiit Hyperbatae praeturae annus neque fuit dubium, quin Aratus, qui alternis annis illo munere fungi consuerat, praetor crearetur. Verum tamen is nullo se pacto praeturam esse suscepturum professus est, vel, ut ipse aiebat, ira adversus ingratum populum commotus, vel quod recusando, cum in ipso salus foederis posita videretur, se permoturum esse Achaeorum sperabat consilium, ne suis obtrectaret conatibus. Et multum precantibus Achaeis, ne tanto in discrimine patriam destitueret, tamen tenax erat propositi, atque Timoxenum praetorem elegerunt.[3])

Timoxeno praetore. 225—224.

Iam vero Timoxeno praetore ad Cleomenem mittuntur legati, qui de pace cum eo agerent. Qui cum initio quidem nimis iniquas proposuisset condiciones, postea misit ipse legatos, quibus

1) Polyb., II, 47—51. Arat. 38. 2) Cleom. 14. Polyb., II, 51.
3) Cleom. 15. Arat. 38. cf. Klatt, p. 58.

haec fere mandaverat: nolle se de prioribus contendere postulatis, siquidem principatum sibi concessissent Achaei; quo concesso se ilico non solum captivos et ea quae occupasset loca redditurum, sed etiam propter principatus honorem et titulum omnia beneficia in Achaeorum civitates collaturum esse. Eius modi proposita non respuenda esse censuerunt Achaei. Etenim si ipsis principem in Peloponneso locum obtinere non licebat, non erat cur recusarent Lacedaemoniorum imperium, quo restituto in eandem paene rursus revocarentur condicionem Peloponnesii, qua usi essent temporibus maiorum. Porro, optione data, nonne erat honestius, Heraclidae obedire eidemque regi Lacedaemonis, cuius vel humillimus civis nobilissimo homine Macedone praestantior erat existimandus, quam externo tyranno, terra marique potestatem ac dominationem appetenti? Itaque, quamquam eius modi inceptis vehementissime obstitit Aratus, tamen petunt a Cleomene, ut Lernam, in Argolidis oppidum, se conferret, ubi in contione pax componeretur et Lacedaemoniorum sanciretur principatus. Iam omnia Cleomenis vota rata fieri videbantur. Etenim recuperato Peloponnesi principatu, quid erat impedimento, quominus rex laudis cupidissimus maiora etiam moliretur et viribus totius Graeciae coniunctis cum Macedone debellaret regnumque constitueret, de cuius claritudine ne cogitare quidem antea Graecus homo esset ausus? Accepto igitur Achaeorum nuntio Lernam profectus est Cleomenes. Verum enim vero dum maturat iter pergere intempestive aquae potum sumit multoque sanguine eiecto gravissimum in morbum incidit,[1] ut Lacedaemonem ei esset redeundum. Itaque dilata est contio in tempus magis opportunum, rex autem, ut suam erga hostes patefaceret voluntatem, quantique sua interesset, pacem fieri, eos ex captivis, quos plurimum auctoritate cognoverat pollere, ultro Achaeis reddidit.[2]

Quae cum ita essent, duae iam relictae erant Arato viae: si vero patriae amore incensus universae eius saluti prospicere volebat, sua sponte de principatu debebat decedere idque agere, ut sincera cum Cleomene, qui quovis modo superiorem se illo esse comprobaverat, sancirertur amicitia; qua sancita nunquam Macedoni facultas esset data in Peloponnesum intrandi. Contra si sui tantum commodi ratione habita, odium, quo in Lacedaemonium flagrabat, non poterat restinguere, tempus erat Antigonum arcessere. Atqui qua erat humilitate animi Aratus non dubitavit hanc viam ingredi parum honestam neque quidquam curans, quod tali facinore totius peractae vitae gloriam aboleret, legatos misit in Macedoniam, qui monerent regem, ut cum exercitu proficisci in Peloponnesum properaret. Sed novae inde exortae sunt difficultates. De pignoribus enim foederis cum ageretur, negavit Antigonus se esse venturum nisi traditis Corinthiorum et oppido et arce.[3]

Dum haec geruntur, finitur Timoxeni praeturae annus atque Aratus praetor eligitur. Qui quidem, postquam recuperavit amissam auctoritatem, nihil habuit antiquius, quam ut Achaeorum conatibus, qui perseverabant in proposito de pace agendi cum Cleomene, obsisteret. Deiectus hac spe nova uti constituit astutia. Convocatae Argos contioni ut interesset invitatus est Cleomenes. Aratus autem, quem non latebat, quanto animi fervore esset rex Lacedaemoniorum, cum Tegea illum cum exercitu profectum accessisse ad Lernam comperisset, obvios ei fecit nuntios, qui postularent, ut, si Argos vellet intrare, acceptis trecentis obsidibus, solus sine exercitu veniret; quod si non videretur, conventum extra urbem prope Cyllarabium gymnasium haberi oportere. Hoc praetoris postulatum, quod Cleomeni traditum est, postquam nihil suspicatus, quantopere

Arato praetore. 224—223.

1) ‚This illness of Kleomenês decided the fate of Greece.‘ Freeman, p. 471.
2) Cleom. 15. 3) Cleom 16. Polyb., II, 51.

Achaeorum animi essent mutati, fidei solvendae causa Argos iam accedebat, indignius videbatur quam cui satisfaceret. Conscius igitur iniuriae a praetore sibi illatae litteras dedit ad Achaeos, quibus vehementissime Aratum accusabat, quod amicitiam vixdum initam turpiter dissolvisset. Arati non minus acerba responsa tantam excitarunt discordiam, ut armis iam omnia essent gerenda.[1]) Ita occasio Graeciae restituendae Sicyonii ambitione et clandestinis fraudibus abrupta est.

Multa autem illo ipso tempore evenerunt quae adhortarentur Cleomenem, ut bello fortiter instaret. Ac primum quidem Ptolemaeus se ad Lacedaemoniorum amicitiam conferre coepit, cum multum eius interesset, adversarios in Graecia excitari Antigono. Quam ob causam iam antea ille Arato annua stipendia sex talentorum persolverat; tum vero sive quod fama in Aegyptum pervaserat cum Antigono Achaeos de foedere tractasse, sive quod res illorum valde afflictas, Cleomenis auctoritatem admodum esse auctam perspexerat, illum igitur socium Arato praeposuit, regi stipendia, unde bellum adversus Antigonum sustentaret, se suppeditaturum esse pollicebatur. Accessit, ut nullo modo ex communi voluntate omnium, quae foederi Achaico[2]) erant adscriptae, civitatum colloquium cum Cleomene institutum impediretur; immo vero desiderium dirimendi foederis cum Achaeis icti multos invaserat socios et diversas quidem propter causas. Erant enim qui Arati superbiam et humilitatem animi, cuius patriae amor artis Sicyonis et Achaiae terminaretur finibus, indigne ferrent; aliae taedii latebant causae in ipsis foederis legibus et institutis, in quibus, licet Polybius nullam unquam hominum societatem praestantiore disciplina ac temperatione usam esse affirmaverit,[3]) multa erant, quae vix possent tolerari. Quid? Illa aequabilitas a Polybio collaudata, ex qua omnes civitates, sive urbes sive vici, sive iam pridem sive novissime cum foedere coniunctae eodem iure, eadem institutione, eisdem legibus uterentur, nonne erat summa iniuria, unde maioribus potissimum urbibus permultum exoriri detrimenti erat necesse?[4]) Recepto autem Lacedaemoniorum principatu nonne sperare licebat, fore, ut rebus domesticis suis quaeque civitas consuleret et nisi forte bellum esset gerendum illorum imperio non obtemperaret? Num quid aliud poposcerat Cleomenes? Denique pleraeque Peloponnesi civitates eisdem morbis laborabant, quos in Lacedaemoniorum republica modo sanaverat Cleomenes — egestate luxuria. Sed Arato ex paucorum eorumque locupletissimorum voluntate res foederis administrante, num ulla unquam effulgebat spes salutis? Pervagati sunt oppida homines novarum rerum studiosi praesentem statum rerum tollendum esse clamantes; quid mirum, quod nihil certi, nihil fidi in Peloponneso esse Arato videbatur?[5])

Res ita se habere confestim patefactum est, ubi Cleomenes, per praeconem bello Achaeis indicto, arma cepit et iusta qua incensus erat ira in ipsos Achaiae fines irrupit. Occupata est Pellene, eiecto Achaeorum praesidio, redactae Caphyae, Pheneus, Penteliuu in eius potestatem neque quisquam de resistendo cogitavit. Haec dum geruntur, Achaei versantur Argis, ut interessent ludis, quos prope Nemeam quieto tempore solebant celebrare, qui tamen locus tum hostium incursionibus nimis erat expositus. Urbs igitur hominibus repleta, omnes cura soluti et sacris sollemnibus operati, mercennarii et equitatus Sicyonem missi et Corinthum, ne forte proditorum ope illis potiretur urbibus Cleomenes. Is vero certior fortasse factus ab Aristomacho,[6]) defensoribus

1) Cleom. 17. Arat. 39: *καὶ ἐφέροντο βλασφημίαι μέχρι γάμων καὶ γυναικῶν ἀλλήλους κακῶς λεγόντων.*
2) Cleom. 17.
3) Polyb., II, 38.
4) cf. Niebuhr: Vorträge q. sq. III. p. 404.
5) Cleom. 17. Arat. 39.
6) Polyb, II, 60.

Argos carere, occasionem forte oblatam proponendi memorabilis cuiusdam facinoris et inopinati noluit praetermittere. Imminebat autem theatro Argivorum ad septentrionem spectans rupes, non excelsa illa quidem tamen undique praerupta, quae Aspis vocabatur. Quem locum, ea murorum parte, qua ascensus Larisae arcis ad meridiem vergens muniebatur, nocturno occupata impetu per ardua enisus armatis rex implevit.[1]) Ubi dies illuxit Lacedaemonii in Aspide conspecti tantum civibus terrorem incussere, ut dissipatis subito, quicunque ad celebrandos ludos undique convenerant, de defendenda urbe desperarent. Qua prospere re gesta fieri non potuit, quin gloria Cleomenis valde augeretur. Quotiescunque enim veteres Lacedaemoniorum reges Argos subigere conati sunt, tamen nunquam eos diu in dicione tenuerunt, quid quod imperatorum laudatissimus, Pyrrhus Epirota, in obtinenda illa urbe frustra fortunam periclitatus est. Iam vero una nocte Cleomenis virtute factum est, ut urbs celeberrima caperetur, quid mirum, quod omnium Peloponnesiorum oculi in illum coniciebantur? Disserebant, in Cleomenem mutatum videri adesse Lycurgum, eosque percepisse fructus Lacedaemonios, quod patrios restituissent mores et priscae Lycurgi disciplinae institissent vestigiis. Rex vero necopinata victoria, cum Megistonus vitricus sponsorem civium fidei se profiteretur,[2]) moderate ac sapienter usus est; satis enim habuit, occupatae urbi praesidium imposuisse Laconicum eamque viginti acceptis obsidibus Lacedaemoniorum adiunxisse principatui.[3]) Nec minus Cleonae et Phlius societatem cum Cleomene inierunt neque Sicyone nec Corinthi defuere, qui, pecunia fortasse corrupti, civium animos ad defectionem sollicitarent eosque hortarentur, ut Lacedaemoniorum partes susciperent. Quod periculum ut averteret Aratus Sicyonem confestim petivit et arrepta infinita de vita et nece civium potestate[4]) atque occisis, quoscunque rerum novarum invenit studiosos, cruore civium tumultum sedavit. Inde Corinthum profectus, ut eadem sontes afficeret poena, mox edoctus est, iam nihil valere apud Corinthios suam auctoritatem. Neque enim singuli, sed universus populus reiecto Achaeorum principatu res novas affectabat eoque acerbiores adversus illum gerebant animos Corinthii, quo minus ignorabant quae Sicyone accidissent. Sed qua erat astutia Aratus perniciem effugit imminentem. Concurrunt enim ad aedes Apollinis eoque ut se conferret, flagitant hac mente, ut eum vel occiderent, vel vivum comprehenderent. Accedit suumque equum ipse ducit. Cum vero templum intrasset, vultum gerens animo dissimilem, fronte serena et tranquilla, obstrepere ei multitudo, maledicere, convicia facere. Intermisso strepitu placida usus oratione ab eis petit, ut considerent, exspectarent, dum reliqui quoque intrarent, ne tam immanem tollerent clamorem. Inter haec verba pedetentim de aedibus recedit, dum equum se esse alicui traditurum simulat; quos vero obvios sibi videbat cives, commonet, ut in aedes Apollinis properarent, itaque factum est, ut integer ad arcem, quam suorum tenebat praesidium, perveniret. Ibi postquam Cleopatro praefecto imperavit, ut quam diligentissime custodiendae arci consuleret, cursu tam citato Sicyonem contendit, ut triginta omnino eum sequerentur milites, cum ceteri in itinere essent dilapsi. Corinthii autem, sero certiores facti Aratum effugisse, cum fugientem consequi non potuissent, frequentes Argos se contulere et cum Cleomene coeperunt pacisci. Is vero traditam Corinthum rem dubii pretii existimans, quamdiu arx teneretur ab hostibus, multo maioris, si captus esset praetor, opprobrio vertit Corinthiis, quod emisissent Aratum e manibus. Nihilo minus Argis profectus, ubi Troezenios, Epidaurios, Hermionenses ad suas partes adscivit, Corinthiorum urbem occupavit et arcem, quam se traditurum esse Cleopatrus negaverat, claudere operibus instituit. Sed cum nihil haberet antiquius, quam ut Aratus ex

1) Curtius: Peloponnesos. II. p. 354. 2) Cleom. 21. 3) Cleom. 17. 18.

4) Arat. 40: *ἐξουσίαν ἀνυπεύθυνον λαβών.*

adversario sibi fieret amicus, convocatos eius amicos et procuratores commonefecit, ut, quaecunque Corinthi ille possideret, summa fide tutarentur, quasi rationem administratarum rerum ei essent reddituri.[1])

Quae dum geruntur, Sicyonem convenerunt Achaei atque Aratum dictatoria potestate praetorem[2]) fecerunt, qui undique iam veritus insidias cohorte civium praetoria stipabatur. Paulo post Megistonus a Cleomene missus adiit praetorem, qui eum adduceret, ut ingenti accepto argenti pondere Corinthiorum arcem traderet Lacedaemoniis. Nec tamen Aratus eius modi obtemperavit propositis. Iterum igitur per Tritymallum Messenium tentavit rex praetoris animum, qui quidem eius nomine promisit, duodena talenta annua Cleomenem suppeditaturum esse pro senis, quae antea accepisset a Ptolemaeo, ea condicione, ut arx Corinthiorum communi et Achaeorum et Lacedaemoniorum teneretur praesidio. Sed ne is quidem quidquam impetravit a praetore, qui cum eius propositi, ne viro cederet sibi maxime inviso, esset tenacissimus, fide etiam data Antigono nimis astrictus, respondit: non iam penes se esse potestatem rerum, sed semet ipsum teneri rerum potestate.[3]) Iam vero ubi nullam cum Arato paciscendi copiam sibi vidit relictam, armis se suosque mandare constituit Cleomenes. Itaque in fines Sicyoniorum irrupit vastatisque agris ipsam urbem obsidere est aggressus.

Timoxeno praetore 223—222.

Quo facto Achaei, qui salutem suam in uno Arato positam esse arbitrabantur, contione Aegium convocata illum eo se conferre iusserunt. Qui quidem, cum ultimi discriminis tempus adventasset, frustraque imploratum esset Aetolorum auxilium neque succurrerent Athenienses, imminente periculo, ne ipsa Sicyone patria, unde primum in libertatem vindicata erat Peloponnesus, hostis potiretur, non amplius sibi cunctandum censuit, sed foedus sanciendum esse cum Macedone. Itaque invitis Sicyoniis, quos tamen spe ostentata futurae salutis de discessu suo consolatus est, comitante filio adolescente et decem amicis, postquam forte fortuna hostium castra fefellit, ad litus pervenit, unde Aegium transvectus est. Ibi ab universa Achaeorum contione decernitur, ut arx Corinthiorum, quos iustas defectionis luere poenas licebat praetendere[4]), Antigono traderetur, isque ipse per obsides ex pacto missos, quos sequebatur Arati filius, in Peloponnesum arcesseretur. Itaque factum est, ut Graeci in semet ipsos constituerent quasi supplicium. Qua re comperta Cleomenes ilico Sicyonem, quam per tres fere menses frustra obsessam tenuerat, reliquit atque, multo maioris momenti esse ratus, cavere, ne Peloponnesum intraret Antigonus, ad Isthmum pervenire properavit. Corinthii autem, ubi certiores facti sunt, quid Achaei de se decrevissent, iam non impediente Cleomene Arati bona diripuere domumque eius regi Lacedaemonium dono dederunt.[5])

Iam pridem Antigonus inter spem et metum suspensus in Thessalia exercitum comparaverat. Nempe ex eis, quae de crescentibus Cleomenis compererat opibus, metuebat, ne in ipsa Thessalia sibi cum rege fortissimo esset decertandum; sperabat idem, fore ut tandem aliquando, vocatus ab Arato, in suam potestatem Graeciam redigeret. Sed cum advenissent obsides et Achaeorum tradidissent decretum, sine mora cum exercitu profectus est. Verum tamen ne recta via in Peloponnesum ingrederetur, impedimento erant Aetoli, qui eum cum exercitu intrare Thermopylas vetabant; si conatus esset, armis se esse prohibituros. Itaque Antigonus, per Euboeam exercitum ducere coactus, pervenit ad Isthmum atque Pegis Aratum principesque foederis benevole recepit.

1) Cleom. 19. Arat. 40. Polyb., II, 52. 2) Arat. 41: ᾑρέθη στρατηγὸς αὐτοκράτωρ. cfr. Klatt, p. 64 sqq. 3) Cleom. 19. Arat. 41. 4) Polyb., II, 52. 5) Cleom. 19. Arat. 41. 42.

Confirmata iureiurando societate Geranios montes conatur superare. Sed rex Lacedaemoniorum cum et phalange et numero militum multo validiorem esse cognovisset Macedonem, proelium cum eo committere non ausus, sed loci potius opportunitate hostes repellendos esse existimans, eam regionem, quae est inter Corinthiorum arcem et Oneos montes, vallo aggeribusque communivit. Quo facto rex Macedonum in summum discrimen est adductus. Qui quidem, quoniam nullo resistente in Peloponnesum se esse invasurum exspectaverat, neque exercitui commeatum providerat, neque ex finitimis regionibus satis commode eum convehere neque vi hostem opportuno loco poterat depellere. Conatus igitur vespertino tempore furtim per Lechaeum, Corinthiorum portum, penetrare ne hoc quidem effecit, sed nonnullis amissis militibus ut in castra se reciperet coactus est. Eo autem proelio, quamquam leve fuit, cum Lacedaemoniorum audacia, qui laetabundi ad cenam se conferebant, confirmata, tum Antigono difficultates valde auctae sunt. Cogitanti igitur, quomodo ex angustiis posset liberari, una haec relicta via videbatur, ut castra ad Hermaeum promontorium collocaret atque inde navibus exercitum traiceret Sicyonem. Neque vero id facile erat ad perficiendum. Etenim cum viginti milia peditum, mille quadringenti equites regem essent secuti [1]) neque idoneae adessent naves, multum temporis in transvehendis copiis consumeretur necesse erat, id quod summo erat incommodo regi re frumentaria intercluso. Sed antequam hoc consilium perficere conaretur, accidit ut, cum advesperasceret, ex Argivis quidam, qui Achaeorum partibus studebant, mare transvecti ad castra pervenirent, Arato nuntiantes, missos se esse ab Aristotele Argivo, qui, si exercitum adduxisset, illi urbem esset traditurus. Persuaserat enim Aristoteles Argivorum populo, ut relictis Lacedaemoniis denuo Achaeorum foederis fierent socii, idque eo facilius, quod Cleomenes tabulas novas ab Argivis desideratas se propositurum esse negaverat. Quo nuntio laetior afferri vix poterat Antigono. Itaque Aratus cum mille quingentis regis militibus Epidaurum transvectus citato agmine Argos contendit, dum Timoxenus Sicyone Achaeorum subsidia adducit. Quae ubi proditorum ope clam urbem ingressa sunt, Arati adventu non exspectato, cives duce Aristotele et adiuvante Timoxeno, fortissime pugnantes, ne defectionis poenas luerent, Lacedaemonios milites per urbem dispersos adorti sunt atque in arcem eos compulerunt.[2]) Sed Cleomenes, ubi de secunda fere vigilia quae accidissent Argis comperit, vehementissime iratus Megistonum increpuit, cum eo auctore nimis mitia constituisset in Argivos, eumque cum duobus militum milibus Argos iubet properare. Qui postquam intravit urbem, fortiter, sed frustra pugnans occisus est; Lacedaemoniorum autem praesidium, quod tenebat arcem, in summum discrimen adductum, crebros ad Cleomenem mittit nuntios, qui implorarent eius auxilium. Sed rex, qui primo satis habuerat observasse Antigonum Corinthiosque confirmasse, neque enim ullius momenti esse Argivorum defectionem a paucis tantum modo profectam, amissis Argis summum sibi illatum esse detrimentum, facile perspexit; nam erat manifestum, se neque quo consedisset locum neque Corinthum amplius posse obtinere, quia immineret periculum, ne Achaei ipsum facultate intercluderent domum redeundi, Lacedaemonem defensoribus vacuam interciperent, terram impune popularentur. Relicto igitur Isthmo et proditis Corinthiis Argos cum exercitu contendit. Neque ulla interposita mora collectis ex itinere copiis per muros instituit urbem invadere. Ea spe deceptus aditu sub Aspide patefacto ubi cum praesidio, quod etiam tunc in arce hostium sustinebat impetum, se coniunxit, inde murum scalis admotis transcendit et nonnullis interioris urbis potitus locis per sagittarios Cretenses hostes viis depulit. Nec tamen

1) Arat. 43. 2) Cleom. 20. Arat. 44. Polyb., II, 53.

diu prospero hoc successu frui licebat viro fortissimo. Neque enim multo post occupatam urbem phalanx Antigoni, qui, postquam urbem et arcem Corinthiorum in suam potestatem redactas firmis praesidiis instruxit, fugientis quasi Cleomenis instabat vestigiis, conspiciebatur de verticibus montium descendens in planitiem Argolicam simulque eius equites admissis equis ad urbem accurrerunt. Desperata igitur victoria, cum etiam Aratus appropinquaret, rex adversis rebus cedendum esse ratus, ubi copias collegit reliquitque Aspidem, praetereundo murum milites abduxit, ut nemo suorum ab hoste laederetur, in ipso receptu imperator egregie probatus. Sed per Mantineam iter facienti postquam prope Tegeam pervenit, hora vespertina nuntius allatus est acerbissimus, praematura morte exstinctam esse Agiatidem, cuius caritas ne inter arma quidem in Cleomene unquam consenuerat.[1]) Attamen compescens aegritudinem, ut in vultu nulla luctus conspicerentur vestigia, cum mandasset quae ex re forent militum praefectis salutique consuluisset Tegeatarum, postridie prima luce Lacedaemonem profectus est. Peractis autem rite exsequiis, quamquam speratos triumphos funeribus ei verterat fortuna, e malis emersit, rebus vel maxime adversis vir animosus et infractus. Confecerat perbrevi temporis spatio res admodum egregias, cum totam prope Peloponnesum, quam maiores per saecula frustra contenderant subigere, intra paucos menses in potestatem suam redegisset, quos omnes laborum fructus unus iam dies sustulerat. Cumulabantur enim tristes nuntii, oppida amissa, amissos esse socios, crescere in dies Antigoni auctoritatem.[2])

Sed illo tanto Macedonis successu maxime territus Aegyptiorum rex Cleomeni, si matrem Cratesicleam liberosque Alexandriam misisset obsides, adversus Antigonum auxilium se laturum esse promisit ea condicione, ne se invito pacem cum illo componeret.[3]) Quo Ptolemaei proposito in novas angustias adductus est Cleomenis animus; nempe retinebat eum pudor, ne cum matre communicaret iniqua illa postulata, donec ipsa Cratesiclea, mulier animi magnitudine praecellens, ubi legit in vultu filii aerumnas et percontata est eius amicos, ex eo quaereret, quaenam essent, quae se celaret. Quibus auditis subridens mater consolata est filium, quem se liberosque in navem ilico impositos mittere iussit, ubicunque corpus suum patriae profuturum esse existimaret, priusquam Lacedaemone deses conficeretur senectute. His verbis confirmatus matrem cum liberis comitante Lacedaemoniorum universo exercitu deduxit Taenarum. Sed cum iam in eo esset, ut Cratesiclea in navem ingrederetur, filio in fanum Neptuni abducto inter lacrimas valere dixit constantiamque animi eum etiam in vultu retinere iussit, ne quis se egressos lacrimantes neve quod Lacedaemone foret indignum committentes conspiceret: id se habere in sua potestate, qua fortuna uterentur, permittendum esse divis.[4]) Haec fere locuta composito vultu cum pueris conscendit navem, quae dato signo e portu solvit.[5])

Quae dum Lacedaemone geruntur, rex Macedonum, urbe Argivorum, qui Aratum praetorem crearunt, occupata, ubi tyrannorum bona ex decreto donum accepit eorumque statuas, quas, postquam Aristomachus tyrannide se abdicaverit, deiectas esse suspicandum est, restituendas curavit, nulla mora interposita, in Arcadiam profectus est. Castella autem, quae in agro Aegytico et Belminate exstruxerat Cleomenes, eiectis Lacedaemoniorum praesidiis Megalopolitis tradidit

1) Cleom. 22. 2) Cleom. 21. 22. Arat. 44. Polyb., II, 53. 3) Cleom. 22, 6.

4) — „sie verrieth auch einen Anflug der stoischen Lehren." v. Ranke: Weltgeschichte II, 1, p. 169. Quae sententia valet etiam de Archidamia, Agesistrata (Plut. Agis 21.), Chilonide (Agis 18.), Pantei uxore (Cleom. 38), quas virilis paene virtutis illustria proposuisse exempla quis est qui negaverit?

5) Cleom. 22. Ad τὸ παιδίον et τὸ παιδάριον cfr. Schoemann: Agis et Cleom. p. 243, §. 6.

possidenda. Deinde Aegium se contulit, ut Achaeorum interesset contioni, a qua princeps omnium sociorum est appellatus, his condicionibus, ut alerent Achaei et sustentarent regis copias et stipendia illis solverent, neve invito Antigono ullum haberent cum alio rege commercium neque per litteras neque per legatos. Ceteroquin receptus est Antigonus ut deus liberator, cui praestabant Sicyonii potissimum quae dis fas erat praestari, atque Aratus ipse non dedignatus est et sacrificiis et paeanibus celebrare externum regem, qui, cum hospes eius Sicyone aliquamdiu commoratus esset, Corinthi, quam urbem ut vilem quendam pagum dono ei dedere Achaei, hiemavit ibique quasi specimen novi proponere vellet imperii, frustra Arato deprecante, statuas eorum virorum, qui arcem Corinthiorum a Macedonum praesidio liberaverant, omnes praeter Arati iussit everti.[1])

Sed peracta hieme eductisque ex hibernis copiis, ubi cum Achaeorum exercitu se coniunxit, circa Tegeatarum urbem castra collocavit. Tegeatae autem cum neque numero pares se esse Antigono, neque Macedonibus omnium earum artium quae ad expugnanda oppida pertinerent peritissimis, maxime autem ad cuniculos faciendos exercitatis, resistere se posse cognovissent, ne graviora sibi essent toleranda, se suaque in fidem et potestatem Antigoni tradidere, qui quidem satis habuit urbem munivisse et praesidiis firmasse; quo facto in Laconiam irrumpere conatus est. Verum rex Lacedaemoniorum ad defendendos patriae fines optime paratus Macedonem ne eos intraret strenue prohibuit; sed quod inferior erat numero militum, quamquam Orchomenium ei aderat praesidium, non commotus est, ut de summa rerum decertaret, unde factum est, ut levia tantum sine effectu certamina committerentur. Itaque Antigonus ubi per exploratores cognovit, Orchomenum praesidio carere, converso itinere illuc contendit. Capta autem urbe facili negotio et direpta, Mantineensium fines est ingressus, qui quidem sive metu Macedonum perculsi, sive Tegeatarum exemplum imitati ultro regem in urbem receperunt. Sed miserrima afflicti sunt calamitate, cum Achaeorum arbitrio eos permitteret Antigonus, qui cupiditate flagrabant ulciscendi, quod interfectis nuper militibus praesidiariis defecissent ad Cleomenem. Necati igitur ex civibus nobilissimi, reliqui aut sub hastam aut vincti compedibus in Macedoniam missi, in servitutem abducti pueri et mulieres, direpta denique et divisa sunt bona inter Macedonem et Achaeos, urbs autem Argivis dono data et Arato auctore Antigonea est appellata. Quae eo modo perpessi erant Mantineenses docuerunt reliquas civitates, si quae forte Lacedaemoniis faverent, melius suae quamque saluti esse consulturam, si cum rege essent pactae. Itaque et Heraea et Telphusa sua sponte aggredienti regi aperuerunt portas, qui, consumpto anni tempore ad bellandum opportuno domumque dimissis hibernatum Macedonibus, cum mercennariis Aegium petivit, ubi cum Achaeorum conventu de eis quae ex re forent, deliberaret.[2])

Arato praetore 222—221.

Nec tamen Cleomenes, quamquam Laconiae finibus inclusus, de salute sua desperavit, immo omnibus enisus est viribus, ut appropinquante vere bellum redintegraret. Quo consilio quotquot servi quinas numerassent minas Atticas, in libertatem se esse vindicaturum promisit, unde factum est, ut sex milia[3]) servorum donarentur libertate, cum quingenta talenta contulissent. Qua pecunia instructus duo milia militum more armavit Macedonico, cum non haberet, quod genus copiarum Antigoni opponeret Leucaspidibus.[4]) Auxerunt autem spem regis fore ut

---

1) Polyb., II, 54. Arat. 44. 45. 2) Polyb., II, 54. 58. Arat. 45.

3) Macrob. Sat. I, 11. 34 ex servis ait manu missis bellatorum novem milia conscripsisse Cleomenem. cfr. Droysen: Epigonen II, p. 128. 4) Cleom. 23.

pristinum recuperaret statum ex Megalopolitis quidam, qui ei se urbem tradituros esse polliciti sunt. De tertia igitur vigilia, cum ipsi murorum custodias circumituri essent, regem adesse cum exercitu iusserunt.

Is vero, quamquam sub occasum solis Lacedaemone profectus est, tamen longitudine itineris deceptus, non tempore constituto, sed die iam illucescente Megalopolin pervenit, ut de clandestina proditione ne cogitare quidem illi possent. Per vim igitur temere in urbem ingredi conatus multis militibus amissis repulsus et domum reverti coactus est.[1]) Nihilo minus non destitit de consilio illius urbis, quam neque Aratus neque Antigonus curare videbantur, in suam potestatem redigendae, cum non solum Megalopolitae crebris incursionibus Lacedaemonios lacesserent,[2]) sed etiam tot oppida amissa tanquam compensari possent una capta Megalopoli. Ardua autem res erat civibus, muros quinquaginta stadiorum[3]) ambitu urbem cingentes satis diligenter custodire. Accedebat, quod permulti ex eis, qui arma ferre potuissent, in proeliis apud Lycaeum et Laodicium commissis erant occisi, denique omnino murorum neglegebantur custodiae, cum nemo iteraturos esse impetum Lacedaemonios suspicaretur. Itaque tribus fere mensibus postquam acceperat priorem illam cladem, Cleomenes, ubi milites quinque dierum commeatum secum portari iussit, Lacedaemone profectus Sellasiam versus iter instituit, quasi expeditionem in Argolicam terram esset suscepturus. Tum signis conversis iterum fines Megalopolitarum ingressus est et, recreatis apud Zoetium cena militibus, recta via per Helicuntem in agrum pervenit Megalopolitanum. Subsistit non procul ab urbe, mandat Pánteo, ut duabus cum cohortibus praegressus partem aliquam murorum inter duas turres sitam occuparet, quam custodibus paene vacare exploratum habebat, ipse cum reliquo exercitu subsequitur. Igitur Panteus, ubi noctis silentio ad urbem accessit, non eum tantum locum, sed omnino muros prope desertos repperit et magna eorum parte potitus est. Advolant excitati strepitu custodes, sed quotquot obvii fiunt Panteo, obtruncantur. Iam vero advenit Cleomenes et patefacto aditu intravit urbem. Sed tantum aberat, ut eam obtineret, ut gravissimum ei subeundum esset certamen. Concurrunt enim, ubi dies illuxit, ad arma Megalopolitae, atrox proelium committitur, et quamquam Cleomenem, qui loca munita praeoccupaverat, superare nequeunt, id tamen assecuti sunt, ut praeter mille fere homines, qui in urbe remanebant, reliqui cum uxoribus et liberis bonisque quae poterant arreptis Messenen aufugerent. Ex eis quos vivos ceperant Lacedaemonii, Lysandridam et Thearidam, viros nobilissimos et auctoritate plurimum apud cives valentes, ad regem adduxere. Quem cum conspexisset Lysandridas, alta voce hortatus est, ut facinus committeret commisso longe praeclarius: conservata, inquit, Megalopoli, in integrum restitue cives eosque bonos fidosque tibi adscisce socios. Conticuit rex paullulum, tum adnuit Lysandridae, ut quaevis commoda minoris se aestimare quam gloriam confirmaret. Itaque mittuntur illi una cum praecone regio Messenen, qui nuntiarent Megalopolitis, redditurum eis esse Cleomenem urbem incolumesque servaturum eos, siquidem relictis Achaeorum partibus cum Lacedaemoniis inissent amicitiam. Quibus de regis propositis cum deliberare cives coepissent unus obstitit Philopoemen, qui in defendendo civium decessu egregiam sibi paraverat gloriam, suosque monuit, ne hostis verbis confiderent; neque enim aliud quidquam agere Cleomenem nisi ut Megalopolitis, si redissent, uteretur urbis custodibus, quam vacuam hominibus propter magnitudinem ipse omnino non posset obtinere.

---

1) Polyb., II, 55. IX, 18. *περὶ τὴν τῆς Πλειάδος ἐπιτολήν*, i. e. m. Maio.
2) Plut. Philop. 4. 3) Polyb., IX, 21.

Qua audita oratione tanto cives correpti sunt furore, ut coniectis lapidibus regis legatos eicerent Messene. Cleomenes vero, cum militum animos praedandi vastandique cupidissimos antea coercuisset, simulatque comperit, quid in legatos egissent Megalopolitae, non compescuit iram, sed urbe suorum permissa arbitrio bona iussit milites diripere, domos diruere, artificia Lacedaemonem abducere; atque eversa est Megalopolis, ut post saecula vestigia conspicerentur regis. Quo facto Lacedaemonii, praeda onusti, cum vererentur, ne Antigonus et Achaei se opprimerent, domum redierunt. De tristissima illa Megalopolitarum clade consilium Achaeorum, qui Aegium convenerant, primum certius factum est ab Arato, qui cum suggestum escendisset diuque chlamyde vultum obtexisset, tandem loqui iussus prae lacrimis nihil pronuntiavit nisi: Megalopolis diruta est a Cleomene! Quo nuntio adeo perculsi sunt Achaeorum animi, ut suae quisque civitati veritus, confestim Aegium relinquerent. Antigonus vero, quamquam iniuriam Megalopolitis, sociis deditissimis illatam ulcisci moliebatur, tamen ubi cognovit, nimis lente milites congregari, abiecto eo rursus consilio in hibernis eos iussit remanere, cum ipse, exiguo tantum stipatus mercennariorum numero, Argos se conferret, ubi hiemem consumeret.[1]

Timoxeno praetore 221—220.

Ineunte vere Cleomenes secundis auspiciis bellum adversus Antigonum redintegrare maturavit. Dimissi enim erant in hiberna Macedones, in suum quisque oppidum dilapsi Achaei, non muniti patebant Argivorum fines. Quodsi irruptione in eos facta Antigonum ad proelium committendum lacessivisset, devinci eum a se posse habuit persuasum; sin autem rex, qua erat prudentia, ne cum Cleomene decertaret, recusasset, tum propter vastatos agros in summum eum Argivorum perventurum esse odium erat consentaneum. Nec fefellit ea spes Cleomenem. Etenim cum Lacedaemonii praedando populandoque usque ad ipsos Argivorum muros pervenissent, desperata salute frequens adiit populus Antigonum, eumque iussit aut decertare cum hoste, aut cedere fortiori. Neque vero populi clamore inductus est Antigonus, ut temere se gereret, unde factum est, ut incolumes et elatis animis Lacedaemonii in patriam se reciperent.[2]

Aestate appropinquante cum Macedones ex hibernis redissent et Achaei, recreati ex timore, copias misissent Argos, instructo exercitu Antigonus profectus est Tegeam, unde in Laconiam conaretur irrumpere. Qua re comperta rex Lacedaemoniorum collectis militibus alia via Macedonem praetergressus petivit Argos, atque sub ipsis urbis muris fruges ita perdidit, ut non falcibus gladiisve uterentur milites, sed lignis in rhomphaearum modum constructis, quasi ambulando segetes contunderent. Cyllarabis autem gymnasium, quod incendio delere milites cupiebant, tutatus est Cleomenes. De ea igitur Lacedaemoniorum expeditione ubi certior factus est Macedo, sive urbem defensurus erat sive hostem interclusurus reditu, conversis signis iter Argos properavit. Nec tamen, quamquam occupatis montibus omnem aditum occlusit, animum Cleomenis perturbavit, qui irridens quasi hostem ab Antigono petivit, ut fani Iunonis claves sibi redderet; nam ubi peregisset sacrificia deae debita, se esse discessurum. Quibus rite peractis exercitum ex Argivorum finibus Phliuntem versus abduxit et Orchomenum praetergressus, postquam ex Oligyrto monte hostium expulit praesidium, nullo amisso milite revertit Lacedaemonem.[3]

Eis autem rebus egregie gestis cum non modo Lacedaemoniorum animi confirmarentur, sed ne hostes quidem facere possent, quin laudibus extollerent virum illum singularem, qui unius civitatis nisus subsidiis regi et militum numero et opibus validissimo obstitisset,[4] tamen vel

1) Cleom. 23—25. Philop. 5. Polyb., II, 55. 61. Paus. VIII, 27. 49.
2) Cleom. 25. Polyb., II, 64. 3) Cleom. 26. 4) Cleom. 26.

ultima spes, fore ut bellum prospere conficeret, erepta est Cleomeni, ex quo tempore edoctus est, inter Antigonum et Ptolemaeum, in cuius liberalitate salus Lacedaemoniorum posita esse videbatur, intercessisse commercium.[1]) Neque enim ullam ex Graeciae civitatibus societate sibi coniunctam, nullas opes prae manu habebat, unde stipendia solveret mercennariis, cum eae, quas ex capta Megalopoli abstulerat, celeriter essent consumptae, neque agri, qui inter arma neglecti erant, commeatum suppeditarent necessarium. Quae cum ita essent, iam in eo erat, ut Antigonus fructus prudentiae, qua crescere passus erat Cleomenem, colligeret. Etenim quoniam cognovit, Lacedaemonios suis viribus bellum diu sustinere non posse, per legatos Ptolemaeum studuit commovere, ne stipendiis illos adiuvaret. Quod si perfecisset, Cleomenem ultimis intentis viribus pugnaturum esse, erat manifestum, ut uno tanquam ictu bellum conficere posset Antigonus et universa potiri Peloponneso. Ptolemaeus autem, qui illo ipso tempore timebat, ne sibi bellum gerendum esset cum Antiocho, Seleuci fratre, de eis quas in Asia possidebat terris, commotus est,[2]) ut amicitiam iniret cum Antigono. Itaque factum est, ut decem diebus antequam pugna apud Sellasiam commissa est, nuntium acciperet Cleomenes, nolle Ptolemaeum amplius sublevare subsidiis Lacedaemonios eosque adhortari, ut de pace cum Antigono componenda cogitarent.[3])

Verum tamen extrema spe destitutus Cleomenes, optione data, utrum externi regis et Arati permittere vellet arbitrio suam suorumque salutem, an in eventum totius certare belli, minime dubitavit, utram viam ingrederetur. Ergo celatis diligentissime militibus de Ptolemaei consiliis strenue id egit, ut omnes rei publicae vires expediens cum Laconiae aditus defenderet ab hostili qui instabat impetu, tum collecto exercitu quantum fieri posset non inferiore Antigoni, propulsaret a finibus patriae Macedones, vel prospera fortuna prorsus eos eiceret e Peloponneso. Munitis autem omnibus quae patebant locis firmatisque propugnaculis, viginti fere milia militum eduxit et prope Sellasiam oppidum, cum illinc in Laconiam invasurum esse Antigonum recte suspicari sibi videretur, castra collocare constituit.[4])

Quae dum geruntur ineunte aestate Macedones, Peloponnesii, aliorum Graeciae populorum permixti milites Argos conveniunt. Fuerunt autem Macedonum tredecim milia, Agrianum mille, Gallorum mille, mercennariorum tria milia peditum. Accesserunt Achaeorum tria milia peditum selectorum, Megapolitarum, qui more Macedonico erant armati, mille duce Cercida; porro Boeotorum duo milia, Epirotarum mille, Acarnanum mille, Illyriorum duce Phario Demetrio mille sexcenti. Equites fuerunt Macedonum, mercennariorum, Achaeorum treceni, Boeotorum ducenti, Acarnanum et Epirotarum quinquageni,[5]) ut exercitus Antigoni esset septem et viginti milium sexcentorum peditum, mille ducentorum equitum. Quo instructo Argis profectus ad fauces pervenit prope Sellasiam inter Euam et Olympum colles sitas, qui imminebant viae ex Tegeatarum et Argivorum finibus propter dextram Oeni rivi ripam Lacedaemonem ducenti.[6])

Utroque colle vallo fossaque munito Cleomenes Euclidam fratrem cum Lacedaemoniis et auxiliis Euam jussit occupare; ipse cum Spartiatis et mercennariorum cohortibus insedit Olympum; in planitie autem, quae ad utramque Oeni ripam patebat, equites et mercennariorum reli-

1) Cleom. 22. Ceterum quo spectent verba Plutarchi: τῶν Ἀχαιῶν προκαλουμένων αὐτὸν εἰς διαλύσεις, non liquet. cfr. Klatt, p. 85. sq.

2) cfr. Droysen: Epigonen II, p. 145 sq. qui suspicatur, ea condicione id factum esse, ut Antigonus Cariam redderet Aegyptiis.

3) Phylarchus apud Polyb., II, 63. 4) Polyb., II, 65. 5) Polyb., II, 65.

6) Curtius: Pelop. II, p. 217.

quam collocavit partem. De quo loco tam opportune capto atque natura et arte munitissimo hostem deicere, Antigono appropinquanti res videbatur difficillima. Itaque cum intellexisset, nullam nocendi facultatem dare adversarium rei militaris peritissimum, de priore consilio, ex itinere cum illo decertandi, destitit et non procul a Lacedaemoniis castra, Gorgylo rivo praemunita, posuit. Aliquot ibi dies regi consumpti sunt et loci opportunitatem et quo ingenio essent milites observanti, interdum etiam simulanti impetum, ut, quid consilii capturus esset adversarius, perspiceret. Ubi vero nec prudentia nec diligentia inferiorem esse se cognovit Cleomenem neque ullum, quo potiretur, patere locum vel immunitum vel parum diligenter custoditum, abiecto consilio hostes de improviso adoriendi, quaesivit ex Cleomene, velletne fortunae rem committere. Quo consentiente iam utrimque duces haud inter se dissimiles et virtute praestantissimi ita acies instruxerunt: Antigonus Lacedaemoniis, qui Euclida duce obtinebant Euam, Macedonum opposuit chalcaspidas, quorum ordinibus Illyriorum immiscuit manipulos, ducibus Alexandro Admeti filio et Demetrio. Pone eos Acarnanum et Epirotarum acies instructa est,[1]) a quorum tergo Achaeorum duo milia collocavit in subsidiis, cum equitibus, quibus praefecerat alterum Alexandrum, mandaret, ut cum Lacedaemoniorum equitatu dimicarent; illorum latera mille Achaei totidemque Megalopolitae iussi sunt tegere. Cum Cleomene vero ipse certamen initurus erat rex Macedonum. Collocatis igitur in prima acie mercennariis, phalangis propter loci angustias geminatae suscepit imperium. Ceterum Illyriis erat praeceptum, ut occupatis noctu Gorgyli ripis ad Euae radices procederent; qui quidem, cum primum linteum in proximis Olympo locis attolli conspexissent, Euclidam aggrederentur; Megalopolitis autem prodeundum erat ad proelium, si puniceum conspexissent paludamentum, quod ipse sublime sublaturus esset Antigonus. Postridie[2]) igitur conspecto linteo, postquam praefecti admonuere milites, ut memores essent officii, Illyrii procurrunt et in Euam ascendere incipiunt. Simulatque milites levis armaturae, quos in media Cleomenis acie constitisse supra demonstravimus, viderunt, Illyrios a tergo esse nudatos — Megalopolitis enim paludamentum nondum erat visum — ultimum eorum agmen aggressi sunt, qui, cum a fronte Euclidas rex instaret, in summum discrimen adducebantur. Facili igitur negotio victoria illo loco esset parta, nisi duae potissimum causae impedimento fuissent. Etenim Philopoemen Megalopolita, ubi Alexandro, praefecto equitum, imminens demonstravit periculum eumque monuit, ut impetu in equitatum Lacedaemoniorum suscepto laborantes sublevaret Illyrios, nec tamen eius consilia ut hominis admodum adulescentis et ignoti, praefecto sunt probata, cives cohortatus, suo Marte cursu cum suis latus est in hostes. Audito clamore cum mercennarii Cleomenis retro respicientes equites manum conserentes vidissent, confestim suis succurrerunt, ut Illyrii periculo a tergo sibi imminenti liberarentur. Euclidas autem longe inferior inventus est mandato negotio. Qui postquam Illyrios iam non a tergo pressos citato cursu in collem ascendentes conspexit, non occurrendo, ut debebat, irruentium cohortes hostium conturbavit, unde fieri potuit, ut tutius se in collis verticem reciperet, sed spe commotus fore, ut hostes per declivia et abrupta fugaret, quasi certum esset et exploratum, suos non posse superari, in ipso collis vertice illorum exspectavit impetum. Nec tamen hostium vim ac robur sustinuit, sed de summo detrusus colle ipse per impedita loca in fugam coniectus est et morte temeritatis poenam luit. Profligato igitur sinistro Lacedaemoniorum cornu Eua colle potiti sunt Illyrii.

1) Polyb., II, 66. ubi pro *Κρῆτας* scribendum esse *Ἠπειρώτας* suspicatur Schorn p. 132.
2) Ex. m. Jul. a. 221.

Inter haec media Lacedaemoniorum acies impetum equitatus hostilis, a Philopoemine quamvis graviter vulnerato incitati, aegre sustinuit; nec minus acri proelio dimicatur ad Olympum, ubi utriusque regis levis armaturae milites et mercede conducti, quorum utrique quina erant milia, omnibus intentis viribus ac nervis egregie certant de victoria. Iam vero Cleomenes, cum Euam collem ab hoste occupatum, sinistrum cornu profligatum, labefactatam esse mediam aciem cognovisset, instante periculo, ne undique circumcluderetur a Macedonibus, certamen supremum sibi ineundum esse existimavit. Divulsis igitur castrorum munimentis recta fronte omnes eius milites progrediuntur, concinunt tubae revocantque milites in planitie inter utramque aciem fortissime pugnantes — adest iam ipsum temporis discrimen, ingens clamor tollitur, concurrunt phalanges. Et profecto atrox tunc proelium commissum est et in primis memorabile, de victoria certant Macedones, Lacedaemonii de libertate. Diu aequo dimicatur Marte, modo cedit Macedonum robori Spartiatarum virtus, modo virtuti Spartiatarum robur Macedonum, usque dum geminatam phalangem densatis hastis in Lacedaemonios progredi iussit Antigonus. Is vero impetus maiore cum violentia susceptus quam ut sustineri posset a Cleomene, fortunam et proelii diiudicavit et Graeciae. Deiecti sunt castris Lacedaemonii, in effusam conversi fugam, ingens numerus occisus.[1])

Paucis comitatus equitibus Cleomenes Lacedaemonem aufugit. Qui cum intrasset urbem, suo madens et hostium cruore, nullo strepitu, nulla exceptus est trepidatione; elatis enim animis tulere cives infandum dolorem atque beatos etiam praedicarunt eos, qui pro patria mortem occubuissent. Attamen rex non ex tempore esse ratus, maxima parte exercitus exstincta, consilia inire de resistendo, sicut viginti fere annis post Hannibal Carthaginiensis pugna Naraggarensi superatus a Scipione, civibus persuasit, ut eas quas proposuisset victor Antigonus acciperent condiciones. Tum ubi vidit mulieres curantes qui secum effugissent comites, domum se recepit. Sed repudiatis cibo potuque, quos more suo offerebat puella, quam amabat, neque consedit nec arma exuit, sed acclinis columnae corpus defatigatum paullulum quiete reficiens multa animo volvit praeterita et futura. Denique pollicitus aut victurum se esse aut moriturum, si ex republica foret, ne se vivo potiretur Macedo, cum amicis Gythium properavit, ubi naves conscenderunt, quas iam pridem, si qua forte opus esset, instruendas curaverat.[2])

Rex autem Macedonum, cui miro quodam casu accidit, ut paucis diebus post pugnam apud Sellasiam commissam nuntius afferetur, Illyrios in Macedoniam ingressos agendo ferendoque agros vastare regisque quam citissimum desiderari reditum,[3]) confecto proelio, postquam Sellasiam oppidum militum permisit arbitrio, nullo iam resistente Lacedaemonem occupavit occupatamque singulari ut videbatur usus humanitate benevole tractavit. Nihilominus rescissa sunt instituta et leges, quibus Cleomenes temperaverat civitatem, restituti ephori et exsules et omnis pristina rei publicae forma. Praefecto autem urbi Brachylla Boeoto[4]) tertio die postquam advenerat copias ex urbe eduxit, ut in Macedoniam rediret.[5]) Lacedaemonii vero tam piis gratisque animis memoriam coluere Cleomenis, ut, spe adducti fore ut aliquando salvus incolumisque domum rediret, ne

---

